

**DIE DECIMA QUINTA MAII:  
DE SS. DYMUNA VIRGINE ET  
GERBERNO SACEROTE MARTYRIBVS  
GELÆ IN BRABANTIA.  
VITA**

**Auctore Petro Canonico S. Auberti Ex  
codicibus MSS.**

**PROLOGUS.**

[1] Suave redolentis memoriæ viro venerabili, in Christoque carissimo, Domino Stephano de Brava, Personæ de Gela, Petrus Canonicus sancti Auberti Cameracensis, [Vita ex vulgari lingua Latinum versa.] salutem in Sion & gloriam in Jerusalem. Semel aut secundo vel tertio flagitatus a vobis, ac si non esset Propheta in Israël, ut ad ædificationem Virginum & generationis venturæ devotionem augendam, Matris vestræ, videlicet S. Dympnæ Virginis & Martyris, passionis historiam, quæ per eorum desidiam, qui tunc erant, nondum sacræ litterarum memoriæ commendata, sub modio silentii latuerat nimis diu; de vulgari eloquio in Latinum redigerem idioma; crebro mecum deliberans acquiescere formidavi. Arbitrabar quippe satis esse præsumptuosum & indecens, si de sacræ Scripturæ mysteriis eniteretur disserere brutus homo: & ad ea, quæ dum legit vix intelligit, de facili corrumperet exaranda, nisi ejus insipientiam supportaret benignitas auditotum, & illius inflammaret ingenium ignis ille, qui disciplinæ fictum effugiens, Apostolorum pectora invisibiliter penetravit. Unde quia caritas suffert omnia, nec inflatur; &, Prophetæ testimonio Samuelis, esse legi obedientiam quam victimam meliorem; ne quod vobis libuerit in hac

parte videar recusare, præsens opus aggredior, assimilatus simiæ, quæ fortuito gestus humanos effigiare videtur, & bestia semper manet; dum sic ego dissuetus in talibus, quasi noscar quid humanum sapere vel discretum attingere, non desisto ingenio bestiali, quod alii forte possent competentiori titulo, decorare. [I Reg. 15. 22] Mihi tamen spem adauget & diffidentiam procul pellit, quod in lege veteri ad Dei tabernaculum decorandum, inter potentum ac divitum plurima donaria, pauperes etiam pilos caprarum obtulisse leguntur, pro conficiendis velaminibus cilicinis, quorum instar ut adversus æreas potestates mentes audientium muniam & informem, pauper offero quod habeo, non ut mihi, quod non mereor adscribam præconium; sed ei qui, ut nati nomen ediceret, os aperuit zachariæ: quia quanto per Deum ab homine gesta meliora & mirabiliora narrantur, tanto amplius non homo, sed Dominus, qui virtutem suam in populis notam facit, mirabilior prædicatur. [Exodi 31,] Cum ergo vilescere faciat sicut scitis materiam nobilem sermo vilis; [censuræ Guidonis Camerac. Episc. offertur.] dilectionem vestram deprecor obnixius, quatenus opus istud venerabilis Patris nostri Guidonis Cameracensium Pontificis aspectui præsentetis: ut in eo quodcumque perspexerit incompositum sive rude, quod forsitan auditori possit facere ridiculum, aut legenti, diligenter eliminet; sicque sarmentis sterilibus amputatis, uberius fructum serat: ne dum per publicos aspectus transierit, temerarius appaream & insulsus.

## CAPUT I.

**A patre ad incestas nuptias postulata Virgo cum Gereberno fugit in Brabantiam & Gelæ moratur.**

[2] Post resurrectionis & ascensionis Domini completa mysteria, [Parentibus gentilibus nata,] sicut ante prædixerat per Prophetas, cum in toto terrarum orbe jam per Apostolos diffusa proficeret religio Christiana,

quidam fuit in a Hibernia Rex Gentilis: qui licet timore Dei contempto superstitiosis ac vanis idolorum cultibus deserviret, tamen opum gloria & militiæ secularis vigore potenti ceteros antecellens, omnibus gloriosior apparebat. Erat autem ei uxor, ex illustri orta progenie, quam Rex ipse vehementi diligebat affectu, quoniam juxta carnis humanæ putredinem tantæ erat pulchritudinis, ut illius faciei & corporis speciositas æmulanda ad se mentes & oculos alliceret inspectorum. Hi vero mundo carne filiam genuerant venusti decoris, matri valde consimilem, meritis & nomine Dymnam, ut ex sui nominis præsagio postmodum digna Deo succederet profutura. Nam cum in domo patris educata nobiliter annos pueritiæ transegisset, non, ut talis ætas assolet & exproscit regalis magnificentiæ celsitudo, chorearum assultus seu jocularias cantilenas aut secum adstantium strepitus puellarum affectans, [clam baptizatur:] mundi hujus assecuta est lasciviam; immo sacri percipiens occulte virtutem baptismatis, se suavi totam subdidit jugo Christi mente simul & habitu, cupiens ipsi soli pietatis diffusa visceribus in perpetuum applicari.

[3] [at matre mortua,] Matre ejus interea, Regina videlicet, corporis in ægritudinem decedente, postque debitum mortis, quod cavere nemo valet mortalium, persolvente; Rex pro ea supervacuis doloribus intabescens, quantum ejus amoris æstualet incendio, velut Abraham Sara mortua, seu Job olim repentina morte filiorum audita, miserabiliter vi dolorum expressit. Lapsu tandem ex temporis, tanta Regis anxietudine delinita, ne Reginæ penitus in se mortem deleret oblivio, per singulas regni sui provincias & eidem contiguas nationes mitti jussit legatos, qui virginem adolescentulam, genere spectabilem & decore jam defunctæ conjugii similem, tanto Regi matrimonialiter conjungendam, diligentius inquirerent, & inventam secum cum gaudio eam adducere festinarent. Accersiti ergo Milites, moribus & eloquentia

compti jussum iter arripiunt; patriasque peragrantes & urbes solerti indagine, ut edocti de Regis proposito quam plurium contemplantur nobilium facies puellarum: velut erga regiam majestatem, si conceptæ legationis imperium adimplerent, ampliorem de cetero gratiam & honorem communiter obtenturi. [e consilio aulicorum nefario] Cumque diu moras innectendo regiones plurimas circumissent, & affecti tædio quod optabant minime comperissent, omni spe solatii regiæ voluntatis explendæ sublata, retroflectentes habenas redierunt ad Regem: ingressique palatium, salutato eo hujuscemodi locutionibus consimilem affatum promulgarunt: O Rex excellentissime, quod tua dudum jussit imperialis majestas, longius exulati reperire nequivimus: sed si placet, ecce nostro celeriter obsecunda consultui, & filiam tuam Dymnam, amabilem & decoram valde, adeoque matri consimilem suæ, ut in ejus imagine reviviscere mortua videatur, jube tibi quam citius nuptiarum felici commercio copulari. Quid plura? Detestabile vix hoc verbum finierant turpitudinis incentores, cum mox hostis invidus ac totius pudicitiae persecutor, qui in Loth ut filias cognosceret, & in Ammon prævaluit ut sororem suam Thamar vi opprimeret, Regis mentem execrabilis impudicitiae facibus inflammavit; quatenus sic per Regem, quod per se non poterat, ad culturam idololatriæ Virginem revocaret; & templum Dei violando per patrem, in filiam, quam exosam habebat, incestuosæ libidinis immunditiam exerceret. Ex tunc siquidem Rex puellæ vehementius inardescens amoribus, [in uxorem a proprio patre expetitur:] cœpit ei leniter blandiendo votum suum detegere, vestes, gazas in dotis ascriptionem, & opes innumeras, seu quodcumque visu delectabile posset ejus oculis arridere, se daturum promittens, si se ei connubii vicibus alternatis nuptiali fœdere copularet. Quod dum Virgo venerabilis, quæ se totam Agni Dei transtulerat in amplexus, patris stuprum execrabile comperisset; mente simul & spiritu consternata, numquam eum in sponsum

admittere se respondit: quoniam hoc non erat justitiæ neque legis, immo potius abominationis & horroris, si incestus infami commercio patris thorum macularet filia. At vero Rex nefandissimus e contrario, sicut mos est conditionis humanæ, [& ad consensum urgetur:] quæ semper de facili nititur in vetitum, eamdem solito vigilantius attingere conabatur; asserens nisu toto, quod si vellet aut non, sibi eam maturius oporteret acquiescere supplicanti.

[4] Dum igitur ambo simul sic verborum altercatione contenderent, neque ulla contradicendi ratio prævaleret, sed in peius Virgo patris lenocinium erga ipsam cerneret desævire; novam stropham comperiens (veluti quondam Judith, quæ rogata ab Holoferne ne vereretur eidem consentire, per triduum impetravit nocte foras eundi licentiam, quidquid in oculis ejus bonum esset facturam se dolosa pactione promittens) quadraginta dierum petiit inducias ad cautelam, [impetrat moram 40 dierum:] interim ornamenta seu etiam cetera quæ spectabant ad decentiam puellarum sibi dari deprecans, ac si tandem apparatu regio nitidius accurata, patri vellet gratiosior apparere. Rex autem hæc audiens, juxta quod credula res amor est, exultat ulterius; omnique ferocitatis & insaniciæ spiritu in mansuetudinem mox converso, petitioni Virginis obsecundat; dieque induciarum indicta, tam puellis quam filiciæ omnium rerum affluentiam prætendendo, præcipue quidquid cultus muliebris decet usum, ex regiciæ liberalitatis auctoritate impertiri jubet, licet ipsa regni sui dimidium petivisset: liquido cunctis per hoc insinuans, quod totius ambiguitatis deteresa caligine, mentem sanctam suis sponte luxuriosis affectibus crederet inclinandam. Virgo autem venerabilis, quæ teneros ætatis suæ annos maturitate morum excedens, professione pudoris singulari complacuerat Sponso suo, ob rem nullam aliam hoc egerat, præter quod aliquantulum ira Regis & indignatione sopita, vitio

libidinis æstuantem a concepta iniquitate ejus posset animum refrænare. [& fugam præoptat:] Nam singula temporum per momenta cor ad cælum suspendens, patriam derelinquere cogitabat; metuens ne Rex ipse, inverecundius quam decebat stimulis agitatus luxuriæ; quæ pueritiam subvertit, juventutem denigrat, inquietat & obruit emortuam senectutem; contra eam ut fortis armatus insurgeret, ac vi florem destrueret castitatis. Cum Job ergo prudens quisque cum oculis fœdus ponat, ut nec cogitet de virgine, circumspectusque videat quantum scelus periculumque turpis amor, atque quanta de libidine malignitas, & de voluptate crudelitas oriatur.

[5] [S. Gerebernum Sacerdotem consulit:] Interea senex quidam & Sacerdos venerabilis, in Christoque conversationis eximiæ, Gerebernus nomine, illo igne succensus, quem mittere venit Christus in terram, tunc temporis in Hibernia sub absconsa chlamyde servum Christi gerebat absconditum, adeo ut nonnulli Gentilium ad eum confluerent, latenterque ab eo baptizati, eum sua consulerent de salute, donec evacuato quod ex parte gerebant viderent ad oculum, quod nunc per speculum in ænigmatibus loquebatur. Erat enim amantissimus servus ille Domini, cibo parvus, castimonia præditus, sincerus eloquio, doctrina sanus, consilio perspicax, vigiliis & orationibus ardentissime deditus, ac si novus semper quondam ut Samuel accederet ad Domini servitum: afflictorum & pauperum immemor numquam erat, & quicumque de criminum conscientia turbati veniebant ad eum, prout singulis opus erat consilium adhibens, tamquam per magni consilii Angelum confortati redibant. Tantis ergo gratiarum insignibus adornatum Dei virum, Virgo sancta sibi proximum fore desiderans, eum ad se accersiri jussit; & juxta quod utilius geruntur negotia, quæ prudentum plus aguntur consilio quam propriæ arbitrio voluntatis; a prudente requirens consilium, cordis sui reseravit arcanum; inferens cum mœrore, qualiter pater

suus Rex, ardore succensus libidinis, eam super oleum demollitis sermonibus hortaretur, ut a statu recederet castitatis, eique consentiendo corruptionis horrendæ decideret in abyssum. Quod cum servus Domini, qui se purum & mundum a puero servaverat in hoc mundo, utpote castitatis amator, penitus agnovisset; miserando puellæ condolens eventui, consolabatur eam: inquiring ut cor suum jactaret in Domino, nec a bono cessaret agendi proposito; quin potius eligeret pro servanda virginitate diræ mortis subjacere periculo, quam decocta pruina luxuriæ, blandimentis aut terroribus Regis diu cupitis amplexibus animum inclinaret. Sciebat enim vir sanctus, ex quo fidei disciplinis instructa fuerat, & occulte baptismi gratiam ab eo perceperat, statum ejus; ut quod ætate teneriori mundi hujus delicias & ornatus per ipsius consilium fastidiret, actu simul & habitu ei semper se ornari desiderans, cujus forma præ filiis hominum speciosa ante ejus oculos versabatur. Unde tactus anxietudine cordis, ei non immerito condolebat, metuens ac formidans, ut scriptum est, Qui stat, videat ne cadat, ne puella venerabilis, [cui fugam suadenti assentitur:] inter notos & amicos posita, qui in aula regia voluptatum deliciis affluebant, fragilitate sexus mundanaque lascivia jugiter blandiente, aliquo miserabili casu seu terrore decepta facilius flecteretur: quia sæpe decipitur qui nimium credit sibi. [1 Cor. 10, 12] Præcipitium itaque tam immane, quod corpori & animæ Virginis imminebat, qualiter præcaveret, tacita secum mente deliberans propensius cogitabat; sciens quod si fortem omnino vitari non possent, minus tamen jacula lædunt, quæ de longe venientia prævidentur. Ideoque ne faceret mora damnum, hoc ipsius consilium unum erat & persuasio uniformis, ut citius sibi fuga consuleret, & ad partes secederet alienas: sicque pauper spiritu pauperem Christum sequens, insanicæ locum daret, quod & Jacob fecerat in Esau fratre suo, & in Saul inimicorum pertinacissimo S. David, &

**monitus in somnis ab Angelo Joseph justus cum fugeret ab Herode.**

**[6] Noctes multas igitur transigens absque somno Virgo beatissima, vices cœpit temporum opportunas diligentius explorare: quibus locum patriam dimittendi reperiens, viri Dei salubre consilium effectui manciparet. Inde ubi successit ad libitum ejus hora perficiendi commodius quod optabat, clandestinæ peregrinationis & exulationis accitis comitibus, familiarissimo suo, Sancto videlicet Gereberno (qui apud Zanten oppidum juxta Rhenum, Canonicis secularibus nunc ibidem famulantibus in magna veneratione habetur) & jocularore patris sui cum uxore illius, [cum eo aliisque comitibus] quatenus sub jocularorum effigie proficisci secretius una possent, propositum iter cœpit. Sicque sperans se cum suis alterius Pharaonis duritiam inflexibilem penitus evasisse, usque ad mare properans, mox cum illo amicabili comitatu, turbulentum transfretatura per aequor, ultro classem conscendit ad littora præparatam. Mirus ardor animi virginei circa Christum & incredibilis audacia puellaris, [ultra mare navigat:] quæ dimota femineæ fragilitatis & ætatis formidine, non timebat longos terræ vel æquoris interjectus, nec procellis fluctuum verebatur in deterius agitari; spem in Deum jaciens & cor totum, qui ventis & mari imperans eductos de Ægypto filios Israël sicco fecit transire vestigio mare rubrum. Vere ejus fortis ut mors dilectio, quæ non solum obliviscendo populum suum & domum patris sui, regnum mundi & ornatum seculi contemnebat, sed parata etiam ad omnia toleranda pro Domino, solo nativitatis suæ cum amicis & notis nationes barbaras præferebat. Remigantibus autem illis inter maris scopulos atque fluctus, & quibusdam ex eis ob amorem patriæ & amicorum affectum ad portum cernentibus, hæc aversos oculos tenebat a littore, ne videndo quæ aliquis meditari numquam potest animi sine motu, manum mittens ad aratrum, inutilem sulcum**



faceret, uxoris Loth non immemor, quæ dum exiret a Sodoma retro respiciens, mox in salis statuam est conversa.

[7] Sulcabatur interim æquor navi festinis impulsibus, & eidem omnis pigra velocitas habebatur, [Antverpiam appellit:] ac ventorum incussio tarda erat, donec auris prosperantibus apud locum qui Antverpia dicitur applicuerunt. Exeuntesque de navi, & intrantes hospitium, ibi moram aliquamdiu peregerunt, loci hujus ab incolis diligentius sciscitantes, quisnam eis locus esset utilior ad manendum: quo remoto gentium a tumultu Christo possent devotius famulari. Ferre quidem vulgus sane non poterat nec strepitus seculares mens in Christo devota, quæ nil aliud præter Christum desiderans gloriam fugiendo, sic volebat se servare innocuam ab hoc mundo, quod nonnumquam civium inter turmas posita, vitam suam levi saltem fame macularet. Cœptum iter iterum repetentes, & viarum ac nemorum dilatatum per solitudinem gradientes, transeundo de gente in gentem, & de regno ad populum alterum, sub celeritate ad villam, [& inde Ghelam:] cui Ghele est nomen olim impositum ab antiquis, venerunt: receptique hospitio, artus longo ex itinere fatiscens quieti dederunt. Inter hæc enim Deus Omnipotens, qui Abrahæ domus servum Eliezer seniore in domini fratris domum itinere recto duxit, ambulantium in innocentia cordis sui misertus, illorum per devia semitarum & saltuum inaquosa prosperum iter fecit. Nam diei alterius mane facto surgentes, vagabunda indagatione situm loci circuire cœperunt. Compertoque oratorio, in S. Martini Pontificis veneranda memoria dedicato, [prope oratorium S. Martini habitaculum figit,] non longe ab eo sepositum sibi locum utilem & quietum ad ducendam vitam solitariam acceptarunt, ut quandoque per contemplationis dulcedinem sursum rapti, ad eorum cor pœnitens in solitudine Dominus loqueretur. Excolebatur autem tunc temporis locus ille raro

**inhabitatore tantummodo quindecim hospitiis, vepriumque densitate refertus fere per sex millia dilatando arborum nemorosa magnitudine præstans erat. Providente siquidem Inspectoris superni clementia, locum simul a spinarum aculeis & nocivis arboribus emundantes, prope dictam basilicam (in qua fidelis inter Deum & populum mediator existens vir sanctus, hostias placabiles & acceptas sæpius immolavit) parvum quidem, sed congruum satis suæ religionis habitaculum construxerunt.**

**[8] [ibi omni virtutum perfectioni incumbit.] Ad perfectum itaque pro modulo mansione peracta, jejuniis & orationibus ac nocturnis vigiliarum excubiis insudantes, de contemptu seculi & animarum salute, de pœnis gehennalibus & gaudio retributionis æternæ unanimiter conferebant: & ad ea facilius obtinenda, cunctis in se mitigatis affectibus carnalium voluptatum, bonis semper operibus vigilantius incumbebant: non quæ sapit ad oculum aut carnale quid redolet, amicitiam sectabantur, sed in Christi vera dilectione fundamento virginitatis locato, internos fructus dignos pœnitentiæ agebant. Quidquid pertinens ad perfectioris statum vitæ sacræ esset Virgini persuasum a venerabili Sacerdote, solicitius adimplebat; acsi aure corporea solers illud ex ore Dominico recepisset. Mysteriorum dignitate igitur & excellentiæ separata, eam partem optimam eligentem videres, tamquam Evangelicam tunc sororem Mariam sacris Christi pedibus inhærere: senem vero beatissimum, summa cordis & corporis castitate vernantem, ut pudicum ac dilectum præ ceteris a Domino Evangelistam Joannem, cui Christus moriturus in cruce Matrem Virginem commendavit, castis sacræ Virginis obsequiis humiliter ministrare.**

**ANNOTATA.**

**Colitur S. Martinus II Novembris, cujus veneratio per Belgicas regiones fuit proximis ab obitu seculis valde promota, quod potuit per istas partes fieri per Episcopos Tungrenses & Tajeatenses satis vicinos, quidni etiam tempore Pippini Ducis a S. Amando tunc Episcopo Apostolico, qui ante Turonibus apud S. Martinum aliquamdiu substiterat? Hoc autem S. Martini oratorium fuisse Capremonti, vulgo Kiuremont, loco vicino scribit Gramayus, ibique ostendi sacram ædem S. Martino restitutam, ubi lanisicum textricæ esse solebant magno numero, & solennis pannorum mercatura.**

**Idem Gramayus asserit locum, ubi beatum illud par cellulam struxit, & trimestre totum vigiliis & orationibus vacans, vitam egit Angelicam, ostendi in pago Zammalia, ab arenis nuncupata, quasi Zandt-mail. Eadem habent Molanus, Haræus, Miræus.**

## **CAPUT II.**

### **Quæsitæ a patre tandemque inventæ frustra iterum sollicitatur.**

**[9] Pascebatur interim Rex concupiscentia cordis sui, fœdusque detestabile intra suæ mentis arcanum cum immani voluptate componens, libidinosos affectus conabatur explere; cum subito verbum durum & asperum de recessu Virginis memorandæ diffusum per curiam, Regis usque pervolavit ad aures. [Intellecto discessu turbatur pater,] Quod audiens indicibili punctus cordis amaritudine Rex turbatur: ac de tantis rumoribus securior inde factus (ut Rex David cooperto capite lamentans pro Absolon, atque dicens; Absolon fili mi, fili mi, quis mihi det ut ego moriar pro te?) sacram Christi Virginem, quid de ea acciderit ignorans, gemebundis clamoribus lamentatur. Utriusque conditionis & sexus milites & matronæ, cum puellis præcipue quæ ab infantia gesserant curam ejus, & omnibus quos amoris pariter &**

naturæ tangebatur affectio, suspirantes per palatium obstupescunt: ac tam diri vulneris novitate & hoc ipso compassionis seu dilectionis mucrone vehementer transfixæ, lacrymosis hanc vocibus prosequuntur. Pietas etenim affluens visceribus apparebat omnibus gratiosa, & idcirco innata benignitas, qua tam morum quam generis nobilitate pollebat, singulorum ad se alliciens corda, ad dolorem & gemitum miserabilius excitabat. Congregatis autem magnificentiæ militaris magistratibus & tribunis, ut dolorem Regis delinirent, noluit eos audire; immo scissis vestibibus graviolem irrupit in gemitum, acsi filiam suam Dymnam fera pessima devorasset. Amor enim illicitus, qui montium fundamenta comburit, & eorum vehementius vrit mentes quos omnino procumbere sentit sibi, de impossibilitate non admittit solatium, neque ex difficultate umquam remedium capit. Recordabatur quippe, & sæpius ante mentis oculos reducebat, quemadmodum vultus ejus elegantia, & aspectus simplicitas, morumque compositio moderata vulnerabat cor ejus: & idcirco stimulis impudicæ dilectionis præventus, irremediabilius urgebatur.

[10] Continuis itaque lamentorum gemitibus dolori satisfaciens vis amoris, [filiam quarit,] ad investigandum de filia sua per diversas gentium nationes mitti jubet legatos, qui de vita vel morte illius ipsi Regi aliquid reportarent. Quid longius immoror? Præparantur nuntii & expensæ: suscipitur labor itineris, ne regiis videantur jussionibus contraire. Ad quod opus similiter exequendum & Rex ipse, militari ambitione vallatus, dictum iter arripuit, equitando per civitatum regiones & oppida seu montium solitudines saltuosas, & quoniam via terræ non extendebatur ulterius, de cetero subeundam disposuit viam maris. [& mare transiens Antverpiam appellit:] Littus tandem accelerans Rex, cum suo multiplici comitatu classem rebus necessariis oneratam conscendit. Totis nautæ viribus cum remorum gubernaculis incedentes

portum relinquunt, pandunt vela, altum volant per pelagus; sicque mira sub celeritate cæruleas tremuli remigando per æquoris undas, usque ad castrum, Antverpianam nominant, freta legunt. Depositis tandem suis ad terram trieribus, præmonitus Rex a nautis egreditur: subsequitur celsitudo militaris dignitatis, equitaturas ascendunt, fit concursus populi tumultuans, ut moris est, cernere cupientis Regem ipsum ad hospitium festinantem. Sed amanti quia semel quæsisse non sufficit, quod delectat, protelatione crescentem intentionem quærendi multiplicat in deterius æstuans vis amoris.

[11] Inter spem igitur & timorem positus attingendi ad ea quæ sæpius meditabatur animo sitiendi, per loci illius circumjacentes provincias rursus plures prioribus nuntios ire monet, summum sibi solatium indicans & levamen, si prosperos de Virginis reductione rumores audiret. Consuetum siquidem est amori, [per nuntios] ut se semper existimet quod diligit invenire: quia sicut relatu poëtico didicimus, spes est quæ nutrit amantem, & ratione caret, ignorat iudicium, modum nescit, timet quod amat, nec amat quod metuit, duplicitatem fugit, nam diu non sustinet, odit detractionem, expellit mœstitiam, concordiam fœderat, nec aliud cogitare præter illud quod desiderat umquam potest. Proficiscentibus ergo nuntiis ex Regis imperio per loca inhabitabilia & deserta, quidam forte illorum ad villam rurensem, cui a Westerlo olim nomen imposuit antiquorum editio, pervenerunt, [Westerloæ hospicio exceptos,] ibique recepti hospicio totam noctem gaudiosam duxerunt, veluti jam eorum animus in hac parte præscius futurorum, quodam motu exteriori de complendo susceptæ legationis suæ negotio palam cunctis aliquid eructaret. Ut autem diei subsequenti aurora resplenduit, profecturi milites surrexerunt; vocatosque clientulos qui paratas se pellectili computarent expensas, ut cum regia liberalitate pro impensis beneficiis de pecunia quam secum

attulerant hospiti satisfacerent, monuerunt. Quam receptam cum clarius intuitus fuisset hospes ille, [ex pecunia simili ab ipsa & hisce oblata,] statim eis retulit quod habebat nummos illis valde consimiles, quorum formam ac pretium & descriptionem imaginis penitus ignorabat. Ad hæc quippe legati, jam præsago spiritu quodammodo suum iter expediri aliquantulum suspicantes, a quo talem pecuniam recepisset, diligenter cum eo pertractare cœperunt. Hospes vero, nescius qua de causa hoc quærerent, modum eis exposuit qualiter Virgo quædam alienigena, de Hiberniæ partibus adveniens, moraretur in loco deserto, interjectu unius miliarii ab eis seposito, quæ mittebat crebro sibi pro emendis victualibus tales nummos. Quibus rursum indagantibus qualis esset facie & statura, insuper quos & quales haberet coadjutores in suo comitatu; mox intulit, quod aspectu & corpore valde pulchra, tantummodo Sacerdotis cujusdam venerabilis senectute, ita morum ut dierum numero computata, & jocularis unius uxorem habentis consortio frueretur; adjiciens ad extremum, quod si locum exposcerent, eam possent ad oculum experiri. Vix hæc verba finierat, [in notitiam habitaculi ejus venit:] cum ductore itineris accersito, qui per locum horroris & vastæ solitudinis equitantes præcederet, ad habitaculum memorandæ Virginis properarunt. Quod cum summa calliditate sollicitius explorassent, & Virginem a remotis inter ceteros agnovissent, comprobantes aspectu quod auditu didicerant, Antverpianam redierunt, tunc ipsorum reditum præstolanti Regi visa pariter & audita cum gaudio relaturi.

[12] Quid gestaret interius Rex in corde, certo satis judicio vultus supplex, frequens meditatio, facies macilenta, & vigiliarum assiduitas exterius indicabant: æstus enim suos amor occultare non novit, & omnino si didicit, tamen vinci subito longus tepor assolet præ calore. Sic affecto igitur, ut res ipsa signis evidentibus

denotabat, intercurrentium nuntiorum assertione veraci nuntiatur, illos esse pro foribus, quos antea juramento constrictos pro filia inquirenda per loca regionis illius præceperat destinandos. Necdum enim reddiderat Rex responsum, cum nuntii coram Rege protinus introducti, eo satis ut decuit honorifice salutato, sibi dari silentium postularunt: cursu quippe celeri fama volans jam in parte rem gestam auditui insinuaverat aulicorum: unde cuncti præ gaudio perstreptentes, alter alterum excitabant ad lætitiā & tumultum. Manu tamen indicto silentio loquendi facultas a Rege conceditur; sicque labor itineris onerosus Virginisque repertio memorandæ coram omnibus a legatis per ordinem explicatur. Æstimare quis posset quanto Regis tunc animus æstuaret tripudio, cum filiam, [lætus filiam adit:] quam obiisse crediderat, vivam esse cognosceret & illæsam. His auditis Rex & omnes qui aderant admirari cœperunt, reviviscente Regis spiritu, ut audivit quod viveret Virgo sancta. Mox cum suis iter dictum arripuit, quod ad locum ducebat, quo cum suo venerabili comitatu Virgo beatissima morabatur. Perseveravit solers ut quæreret, & idcirco contigit, ut quod diu toto corde concupierat, inveniret: desideria enim nequaquam protelatione decrescunt, immo, teste Gregorio, potius augmentantur; quæ si forte dilatione deficiunt, desideria non fuerunt. Ad habitaculum itaque Virginis perveniens furiosus vir Belial, vidensque Christi ancillam, salutavit eam: aspectuque famelico decoris virginei claritatem intuitus, veluti mox amoris jaculo sauciatus, corde totus infremuit, interioremque mentis habitum extra vultus rubore perfusus satis certa significatione monstravit. Decor namque Virginis æmulandus ejus mentem & oculos, in ejus pulchritudinem faciei defixos, tam amoris quam profanæ dilectionis sitibunda refectione pascebat. Meditabatur tamen & in armariolo sui cordis sæpe revolvebat, [connubium ejus optat:] quod si mentem & animum Virginis ad consensum connubii munere vel promisso inclinare non posset,

recusanti terrores & mortem ad ultimum nefandissimus intonaret. Libidinosa quippe mens honestam persequitur: propterea quomodo puniat honestam & castam violenta meditatione scrutatur, quam Rex David, oculorum concupiscentia depravatus, exercuit in Vria, dum pro ejus conjugē Betsabee per principem militiæ suæ Joab homicidium perpetravit.

[13] Rex etenim contemplata facie puellari, quæ decoris similitudinem expresserat sponsæ suæ, cum oculos ab ea paululum avertisset, impudici pectoris igne tactus, hanc affari cœpit valde dulciter hunc in modum: O filia mea Dympna, amor meus, [blandimentis pellicere nititur:] desiderium & dulcedo, quæ te movit necessitas aut voluntas, ut regiæ dignitatis honore contempto, extraneis & ignotis gentibus terram nativitatis tuæ mendicando postferres? Quæ tam docta vel tam lenis persuasio te seduxit, ut filialis dilectionis oblita, patrem Regem dimitteres, istique seni decrepito Sacerdoti tamquam filia adhæreres, & ipsius in omnibus obtemperares mandatis? Ut quid regni gubernaculum habitura post patrem, aulam regiam abjecisti, ut domum inhabitares consitam ramusculis & etiam fœdi luti vilitate difformem? Nostro ergo celeriter acquiesce consilio, & nobiscum ad patriam, quam pueriliter dimisisti, sapienter revertere. Quoniam si paternis affectibus denegatum assensum præbueris, diademate regio laureata, super omnes principes matronas & virgines regni mei principatum tenebis: inter deas insuper tibi templum de insigni marmore fabricari præcipiam, & in eo ex auro & lapidibus pretiosis ad tuam effigiem erigi sceptiferæ imaginis statuam, ab omnibus adorandam. Hanc si servus aut liber vel persona cujuscumque conditionis aut sexus adorare neglexerit, nec eidem debitæ venerationis servitutem impenderit, prout nostra sanctio concinnabit & statuet, sufficienter indictam pro illata injuria recipiet ultionem.



[14] Ad hæc statim cum vellet objicere Virgo sancta, Dei servus altissimi beatissimus Gerebernus, responsionem Virginis anticipans in spiritu & virtute Heliæ, qui Achab & Jesabel de coitu nefandissimo reprehendit, in ignominiosum Regem, sicut verum pudicitiae decuit amatorem, [S. Gerebernus causam Virginis propugnat.] protinus insurrexit: vultuque simul & voce asperæ increpationis sermones contorquens, in hæc verba prorupit: O Rex sceleratissime, totius immanitatis auctor, atque cunctis virtutibus inimice, libidinis commentator; cur incassum laboras evertere puritatis a via tam beatæ Virginis mentem sanctam? Cur infelix & vecors, Deo caram & Angelis virginitatem infestas, quæ honorem & gloriam ætatibus accommodat universis? In infantibus enim florens & pueris, innocentiam sanctam nutrit; in adolescentibus & juvenibus cavens lapsum, extinguere nititur motus carnis; in provectoris & senibus honestatem conservans, sanctitatem acquirit. Ob hoc quippe Virginem precor, hortor, & moneo, ut hanc servet, diligat, & sequatur, & in ea semper, donec supervenerit mortis hora, constantissima perseveret. Thesaurus est siquidem in honestis utilis virginitas, quem qui semel amiserit recuperare de cetero non valebit. Ne sis ergo opprobrium & dedecus inter Reges, & ne crimen inferas majestati: non præsumas ulterius talem loqui sermonem, quem nefas est & abominatio cogitare, non pudicis & mundis tantummodo, sed etiam luxuriosis & fornicatoribus. Securus sum enim & certus, quod filiæ tuæ Dympnæ mens fidelis & pura, cui pro Deo penitus jam viluit quidquid mundus suggerit voluptatis, nec asperitate minarum terrebitur, nec promissis aut muneribus acquiescet. Et hoc ei succensus ardore libidinis forsitan suadere desisteres, si Phinees zelo ductus justitiæ gladium formidasses, quo arrepto Legis sanctæ prævaricatores iniquos, turpitudinis facibus sævientes, post eos in lupanar ingressus, simul ambos perfodit.

## ANNOTATA.

**Westerloa insignis pagus, supra indicatæ Zammaliæ vicinus, ab aliquot seculis spectans ad familiam Merodiam, a qua Philippus anno 1626 a Philippo IV Rege Catholico primus Westerloæ renuntiatus est Marchio. Consule quæ diximus 3 Maji, ad Vitam S. Aufridi Episcopi Ultrajectini, qui Ecclesiis Ultrajectinis Westerloam & vicina aliqua loca tradiderat, quæ ibidem sita dicuntur infra Comitatum Riën, tunc latius distentum, & olim Episcopo Cameracensi cum urbe Antverpiensi subjectum.**

**Additur in Legenda excusa: Monuit insuper S. Gerebernus Virginem sanctam, ut numquam Regi consentiret, ne æterni Regis sponsi sui, cujus dulcedinem prægustaverat, indignationem incurreret.**

### CAPUT III.

#### **Sanctorum Gereberni & Dympnæ Martyrium & sepultura.**

**[15] Hac itaque salubri monitione completa, mox tyrannus execrabilis, [Gerebernus reus mortis proclamatur,] vehementi furore commotus, in Domini Sacerdotem exarsit: accitosque infrunitæ severitatis ministros consuluit, ut monerent quid agendum super hoc existimarent: quod per senis illius consilium Dympna ejus filia impudicis suis monitis obedire renueret, adeo quod nec metu nec rei alicujus blandimento poterat emolliri. At illi consiliatores iniqui, participes & consortes illorum, qui in Domini passione consilium inierunt ut eum occiderent, virum sanctum morte dignum clamantes, tamquam reum & maleficum ac beatæ Virginis subversorem, apud Regem pariter accusabant. Nitebantur etenim non sub modio positam, sed ardentem super candelabrum extinguere virginitatis lucernam; per hunc forte modum Christi ancillæ propositum, interempto comite, facilius**

arbitrantes ad consensum conjugii revocandum. Quod consilium quamvis esset detestabile, Rex profanus acceptans, mox præcepit Dei servum altissimi B. Gerebernum, [& decollari jubetur:] illicita prohibentem conjugia, a ministris detestabilibus decollari.

[16] Quem confestim tumidis fulgurando sermonibus adeuntes accusatores iniqui, una tamquam leonum catuli rugientes ut rapiant, super eum dentibus infrendentes, antea quæstionem atrocem propositam in hunc modum expectanti gladium deprompserunt: Inveterate dierum, cujus conditionis aut generis, & unde est in te tanta præsumptosæ temeritatis audacia, [objecta sibi convitia] quod Dominum nostrum Regem non vereris inanum verborum ambagibus attentare? Non sufficit, impudice, tibi solum, quod filiam suam Dymnam a consensu conjugii revocans, tecum ad hanc provinciam adduxisti, nisi convitiorum injuriis eum rursus ad iracundiam provocas & furorem? Decetne tuam, infelix, canitiem, ut priusquam propria dereliqueris, aliena contagia reprehendas? Numquid Rex immerito intabescit doloribus, cui amorem conceptum in animo suggestionem fallaci non permittis effectui mancipari? Lites ergo simul tuis cum verborum ambagibus amodo sopiantur, cum melius tibi prosit ut decretis regalibus obtemperes, quam rebellis & contumax, ac sapiens indiscrete, tam provecæ ætatis sustineas detrimentum. Quod audiens cultor Dei, qui nec mori timuit, nec vivere recusabat; animatus divinæ virtutis constantia, [modeste diluit:] objicientibus hæc respondit: Gens absque consilio & sine prudentia, si hos lingua frustra implicat aliena, quos propria conscientia non accusat; cur me stupri scelera prohibentem, tamquam reum & maleficum criminosis objectionibus attentatis? Numquid per vos membra plane cognoscitur, quam mala in capite vestro Rege potentia dominetur? Si quis enim viderit alterum vitiosum, nonne idem summopere monendus est ut vitia derelinquat? Et si

sæpe commonitus vitia non relinquit, nonne debet tamquam publicanus & ethnicus in tempore devitari? Ferro quidem asperæ monitionis abscindenda sunt membra, quæ fomenta medicinæ non capiunt, antequam pars cetera corrumpatur: delictumque feriri convenit asperius, cui celer satisfactio non succedit.

[17] Ad hæc verba dementiores effecti ministri nequitiae, Dei viro talia proferenti protinus subjunxerunt: Vsquequo in te tanta latebit impostura mali? quid adhuc, insensate, non desinit lingua tua stultitiam personare? [jussus S. Dympnæ conjugium suadere,] Ignoras tu, miserrime, quod Potentum interest subditorum suorum refrænare superbiam, & illius audaciam cujus adhuc crudelitas redundat in Regem ultione debita castigare. Stude ergo quam citius filiae Regis mentem, quam hucusque ab amore paterno subtraxisti, ad consensum conjugii revocare: aut te noscas in præsentia reum, si ei hoc suadere neglexeris, capitali sententia puniendum: quia cum unius excessus diligenter corrigitur, delinquendi ceteris via mala facilius obseratur. Quibus senex reverendissimus, non mucrone accintus, sed ardore fidei glorioso, respondit: Absit a me, filii tenebrarum, ut puellam, quam pro posse debeo instruere ad virtutes, informem ad vitia; & cui suggerere teneor perseverantiam castitatis, incentivum suadem libidinis & incestus. Honestatis siquidem propositum nequaquam est persuasionem pestifera dirimendum, [constanter abnuit:] sed paterno subsidio potius sustentandum, ne in fide dum quis fidit alterius, ab eo sit in aliquo supplantandus: & quo fructum religionis majorem recipere se aestimat, ibi debet cum fiducia ampliori quilibet seminare. Licet mihi promiseritis omnium exquisita genera tormentorum, Christi tamen vera dilectio, quæ filiali numquam ejus dividitur a timore, legem talem indixit amantibus, ut amici in Deo ad invicem pro fidei confessione injuriarum incommoda patiantur. Nam a Christi corpore se dissolvit

**& separat, qui permittit ab impiis opprimi Christianos, ac pro posse suo hostes fidei Christianæ viriliter non expugnat.**

**[19] Viri autem sanguinum & dolosi, his auditis, tamquam Regiæ benevolentiae captatores, mox in Christi Sacerdotem electum unanimiter irruerunt; [capite plexus,] manusque violentas jacentes in eum, lacessitum injuriis peremerunt. Sicque martyr Domini gloriosus, de tyranno triumphum accipiens, vitæ cursum capitis memoranda plexione complevit. Quod & factum legimus de Joanne Baptista, dum Herodes sanguinem ejus pium in poculum crudelitatis absorbens, propter Herodiadem, quam tulerat fratri suo Philippo uxorem, [Baptistæ comparatur.] caput ejus sanctissimum amputari præcepit. Licet ergo Christi præco Joannes major homine, par Angelis, pudicitiae titulus, beatissimum Gerebernum antecedit sanctitate & meritis; æqua tamen comparatio de duorum certamine recitatur. Hic quem manus Domini matris in visceribus consecravit, Joannes prædicans & baptizans, Christi viam in eremo præparabat: iste Christi Sacerdos probatissimus, ante mundi constitutionem prædestinatus ad vitam, in solitudine confluentes ad se populos, verbi vitæ semina partiendo, ad pœnitentiam incitabat. Verus ille Nazarenus Christi, tantum pilis camelorum indutus, vinum & siceram numquam bibit, nec immundum suæ matris ab utero manducavit; magister sanctitatis Sacerdos hic non tantum ab immundis & illicitis se abstinens, carnem suam siti, fame, cilicio maceravit. Judicis ille præco Joannes, legis vespera, gratiæ matutinum, Herodem facibus libidinis æstuantem monitis non accusatione pulsavit, volens eum corrigere non perire: iste cultor Domini Gerebernus, forma justitiæ, castitatis exemplum, stupri nefas detestans, istum Regem incredulum de incestus commercio reprehendit, non odio sed amore. Ambo quippe continentes & justis ac deserti cultores, defensores utpote castitatis, Regum iram**

& odium incurrerunt, atque tandem pro pudoris justitia detestabilium ministrorum gladiis occumbentes, in hoc pares, caput pœna pari, Deo sanctas animas reddiderunt. Hi sunt viri misericordiæ, quorum justitiæ oblivionem non acceperunt: quosque vita sanctissima venerabilem duxit ad mortem, & gloriosus occasus fecit esse perennes.

[20] Furore Rex quem vindicta minuerat paululum temperato, sponsam Christi venerabilem S. Dympnam suis jussit obtutibus celeriter præsentari. [S. Dympna patri petenti connubium,] Tristem enim animum intus celans super patris inflexibili pravitate, plena ejus facies gratiarum rosei decoris amœnitate perfusa, cunctis tota desiderabilis apparebat. Cujus dulci serenitate percussus infelix tyrannus, inflammante cor ejus illicitæ dilectionis igniculo, prætendendo blanditias sic affari Virginem est exorsus: O filia mea Dympna, cur pateris patrem tuum diu tantis augeri doloribus? misereri cur renuis, & abhorres illum, quem allicit amor tuus & cruciat indefesse? Tantummodo consentire, carissima, mihi velis, & quod opum & gloriæ mundus habet, vere tibi polliceor me daturum. Insuper & celebre nomen tuum inter deas sacratissimas, per totius regni mei confinium, cujus mecum dominaberis, præcipiam numerari. Cui Virgo devotissima, quæ potius eligebat affligi pro Domino, quam temporalis peccati habere jucunditatem, suadenti talia cum indignatione respondit: Cur, infelix tyranne, promissis fallacibus a pudoris proposito subvertere me conaris? [constanter resistit:] Putas, miser, quod a stabilitate propositi resiliam appetitu gloriæ secularis, corpusque meum polluendo, Christum meum amatorem offendam? In me ergo ne credas esse animi feminei levitatem: tuæ signum gloriæ mentis pede conculco, & Domini mei Jesu Christi promissiones illas, quæ affectus superant universos, jam ex totis visceribus concupisco. Dea cerni respuo, & honorem imaginis vilipendo. Talem

**mihi nec præsumas ulterius suadere sermonem, cum satis sit facilius cuilibet retinere quod habet, quam cum idem amiserit revocare.**

**[21] Tunc Res ferus, animo libidini deditus atque cultor præcipuus idolorum, quanto magis fidem Christianitatis in ea fervere cognovit, tanto magis homine inimico superseminante zizania, contra eam totis viribus insurrexit, & inquit: Ne frivolis de cetero, malitiosa, nos fatiges: statim exple quod opto, vel paternæ dedignationis incurres offensam; sicut ille detestabilis Doctor tuus, qui rebellis & contumax erga nostræ jussionis decreta male vitam hanc capitis detruncatione finivit. Flori igitur tuæ consulæ juventutis, in exemplum hunc habens, & deorum nostrorum altaribus sacrificans, thus impone; aut segura consistas quod confusioni perpetuæ donaberis, sicque tuæ perditionis exemplo Regum omnes filiæ paternis imperiis adversari amodo formidabunt. Cui minas intonanti taliter & ruinam, recondendæ memoriæ Virgo sancta respondit: Qua de causa, tyranne detestabilis, jugulasti Domini Sacerdotem electum, in quo nullum facinus reperisti? Numquid cuncta cernentis arbitraris effugere judicalem sententiam? Deos deasque tuas ut figmentum detestor, & Domino Jesu Christo, cujus amore languo, tota me devotione committo. Ille sponsus meus, & gloria mea, salus, desiderium & dulcedo, nihil aliud desidero præter ipsum: mihi solus ille sufficit, [pro fide Christi parata mori:] in quem sacer ille Angelorum exercitus prospicere concupiscit. Cum igitur juris ordo videatur expetere, quod aliquis non exemplis sed legibus debeat judicari, in me quamvis exerce tyrannidem: pœnas omnes, quas inferre poteris, læta mente parata sum pro Domino sustinere: illos quippe non debet separare dissimilitudo mortis nec locorum distantia, quos viventes univit per omnia vera fides & in Christo locata fideliter identitas animorum.**

[22] Amens quidem in responso Virginis Rex effectus, nec deceptionis suæ dedecus ultra ferens, sic locutam, ut dictum est, ad deorum suorum vindicandas injurias, eam jussit celeriter decollari. Sed cum nullus eorum qui aderant in Regis collegio tam immane præceptum adimplere præsumeret, Rex antiquæ nobilitatis, quæ superbos debellare & parcere humilibus consuevit, oblitus, pietatem regiam atrocissima crudelitate commaculans, super eam irruit pro lictore. Verebantur enim omnes, quadam cordis pietate commori, tam enorme sceleris molimentum sui Regis in filiam exercere: ne, dum tantam jussionem explessent, qua frendebat indignatione pacata, iram ejus incurrerent pœnitentis post factum. Quod perpendens infidelis tyrannus, quo accinctus fuerat pugione funesto, [a proprio patre occiditur:] sacrum caput Virginis gloriosæ, divini respectus implorantis misericordiam, amputavit: sicque simul Rex cum suo detestabili comitatu remeans ad propria, carnes servorum Christi, S. Dympnæ videlicet & beatissimi Gereberni, escas terræ bestiis atque cæli volatilibus dereliquit. O patrem sceleratissimum & crudelem, [Corpora utriusque inhumata,] sine ullo paternæ pietatis affectu! qui nefando libidinis exagitatus ardore, sub prætextu judicialis sententiæ, per vindictam temperatis doloribus laudem quærit; atque ipso sceleris molimine semetipsum æstimans pium esse, inhumandis eorundem corporibus humanitatis officium denegavit. Grata Deo & Angelis hæc vere societas beatorum Martyrum, qui sicut in Christo se dilexerunt in omni vita sua, ita quoque & in morte non sunt separati; immo Christi calicem passionis bibentes, pro munere meritorum in cælestibus jam cum eo perpetua jucunditate lætantur. Cumque dies per aliquot disponente Divina clementia beatorum Martyrum corpuscula, a feris intacta & avibus, [sepeliuntur sub specu:] super nudam humum diu inhumata jacerent, a quibusdam habitantibus juxta locum super sanctos Martyres, quorum mortem in conspectu



**Domini gloriosam sciebant, pietatis diffusis visceribus terraneo sunt sub specu minus digne sepulta, quod tunc erat consuetudinis mortuorum corpora sepelire.**

**[23] Multa vero post annorum curricula, pro stupenda ostentatione signorum, quæ a Christo propter eos operabantur ibidem quibuscumque languorum generibus occupatis; ne posita lateret diutius lucerna sub modio, utriusque generis & ætatis tam Cleri quam populi multitudine congregata, quidam Deum timentes, & qui locum didicerant sepulturæ, cæsa ferro Sanctorum corpuscula quæsierunt. [cadem elevaturi, reperiunt candidum sarcophagis inclusa.] Res mira & totius admirationis stupore vehementi dignissima, nec ab ullo mortalium auditione vel respectu alias comprehensa! Cum arreptis fossoriis fodientes, rastris humum exterius eiecissent; Angelicis manibus præparati nive candidiores & excisi de petra duo apparuerunt sarcophagi, digne satis candori virgineo congruentes, cum non essent in patria tota illa nisi petræ tantummodo fuligine nigriores. Mirum in modum extractos sine difficultate aliqua mox de terra sarcophagos, cum stupore & extasi circumquaque lucidius intuentes, nullum in eis vincturæ vel fracturæ vestigium reppererunt: immo sanos & integros ac Sanctorum pignora continentes, sicut solent in ingenti lapide calculi contineri. Ad hæc quippe tunc præsentibus qui aderant in gaudium & mærorem conversi, se vidisse inauditum a seculo mirabantur: sed ut magis stuperent attoniti de hoc facto, lacrymantes pariter & lætantes in Domino, conferebant inter se ad invicem, qualiter sine ulla dissipatione seu lapidum læsione poni potuissent interius Reliquiæ pretiosæ. Quod cernentes ad oculum, discutiendo diutius, rationis humanæ nullatenus ingenio factum esse, potestati divinæ quæ ubi vult indeficiens operatur, tam evidens attribuere miraculum, actiones gratiarum communiter cum gaudio referentes Domino**

**nostro Jesu Christo, qui vivit & regnat per omnia secula  
seculorum. Amen.**